



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1666**

Capitvlvm III. Indecorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62559](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62559)

ful ipere queant, tum Episcopus cum Capitali consensu dispensare non prohibetur: cum talis dispensatio in proprio ipsorum iure seu statuto fiat. Quod si autè literæ fundationis requirant, vt capellania v. g. Sacerdoti conferatur, vtrum Episcopus dispensare possit, dixi lib. 4. Th. mor. tr. 2. c. 13. in q. 6. n. 13.

**NOTANDVM III.** Si aliquis per Papæ dispensationem ad beneficium curatum promotus sit, qui ob ætatis defectum præesse ipsemer non possit, debet interim administrator, seu Vicarius temporalis deputari; qui Clericus sit, non laicus: nam laici Ecclesiastica negotia gerere non debent, c. 2. de iudicijs.

## CAPITVLVM III.

## Indecorum.

## SUMMARIVM.

*Regimen Ecclesia minori quatuordecim annis committi non debet, maior ætas requiritur iuxta posteriores canones.*

**E**ccliesiarum dignitates, seu personatus impuberi, seu minori xiv. annis committi non possunt: Et talis prouisio seu institutio ab Episcopis facta, irritanda erit, ipsiq; grauitè puniendi. Ita Alexander III. in hoc c. Sed postea editis canonibus maior ætas requisita fuit: videl. si personatus, v. g. Decanatus, aut Archidiaconatus curam animarum annexam habent, anni xxiv. completi, c. cum in cunctis, 7. §. inferiora. de elect. in Trident. sess. 24. c. 12. de reform. Ad dignitates verò seu personatus, quibus cura animarum annexa non est, xxi. anni completi, cit. c. 12. Ad reliqua verò simplicia beneficia, ordinariè ac per se loquendo, anni quatuordecim, saltem cœpti, Trident. sess. 23. c. 6. de reformat. iun. declarat. Cardinal. Vide quæ dixi, in cit. §. Inferiora.

\* \* \*

## Eam te.

## PARAPHRASIS.

Prohibet Alexander III. ne quisquam ad beneficium curatum instituatur, etiam si literas Apostolicas afferat, nisi præditus sit scientiâ, bonis moribus, atque ætate in Lateranensi Concilio requisitis, c. cum in cunctis, 7. de elect. Præterea iubet, vt qui plurium Ecclesiarum curam habent, quarum vna ex alia non pendet, ij, remota appellatione, coguntur ad vnam earum, quam maluerint, dimittendam: nisi ita tenues redditus habeant, vt proprios Sacerdotes alere non possint.

## SUMMARIVM.

1. *Si Papa iubeat alicui conferri beneficium, licet in literis non exprimat, intelligitur tamen conditio, si idoneus sit.*
2. *Ad beneficia curata potissimum requiruntur qualitates istæ, scientia competens, morum honestas, & ætas legitima.*
3. *Qui habet duo beneficia curata, vel alterum personatum, aut dignitatem, ipso iure priuatus existit prius habito, illudque dimittere debet.*
4. *Si parochialis ecclesia tenues prouentus habet, qui alendo sacerdoti non sufficiant, quomodo ab Episcopo prouidendum?*

**NOTANDVM I.** Si Papa iubeat alicui conferri beneficium, etsi in literis non exprimat, intelligitur tamen conditio, si idoneus sit, iuxta c. cum aded, 17. de re scriptis. Potissimum autem ad beneficia curata requiruntur qualitates istæ. Scientia competens, morum honestas, & ætas legitima. Tametsi verò in ætate Pontifex dispensare possit, tamen non præsumitur contra generalis Concilij decretum dispensare, nisi id exprimat, c. ex parte, de Capellis Monachorum.

NOTAN-